



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XIV. Quanto ardore salutis alienæ flagrauit Ignatius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

retur inter sanctos heroem, & præ cæteris admiratur: iam illos quinque & triginta annos quos Deo vixit Ignatius, si qua Mantelæ inierat asperitate vitæ decurrisset, auxisset quin etiam illorum cruciatuum mensuram pro incrementis suæ caritatis, quanta, & qualia de illo canerentur? Saccus, cilicium, catena, specus, nosocomiorum longa, sordida, purulenta obsequia, ad hæc perpetuæ ferè inedia, vigilia, meditationes, flagellationes; ad hæc ærumnosa peregrinantis itinera; ad hæc contemptus, ludibria, stoliditatis opinio cupidè captata, vita denique omnis, morte prope diuturna crudelior, hæc inquam & alia olim à nobis narrata fusius, quæ gradus illius quem assecutus est fuere tantum leuia rûdimenta, si pari semper sui, dicam verius laniena, quàm vexatione tenuisset; haberetur vulgo in summa admiratione sanctimonie excellentis, cuius apicem vulgus non putat posse atcolli sublimius. At hoc omni horrore deposito, mirabili magis quam utili, reuocare se ad conuersionem pereuntium animarum, atque in hunc finem difficultates literarij studij diuturnas propèque insuperabiles deuorare; exinde ciuilius, & humanius agere; ex communi more, vestem deinceps, victumque moderati; delectum habere præstantium comitum; pro adamatis criminationibus, atque infamia, ad tuendam famam insurgere; stabilitæ demum religiosa familia, viuendi normam congruentem, ac propriam, ad posterorum exemplum præire, omnem illum ardorem corporis affligendi, conferendo in animi culturam, iis tantum ex eo duriore paratu seruatis, quæ primatio non obessent proximi iuuandi officio; hæc supremum licet obtineant perfectæ virtutis fastigium, quæ perfectionis alienæ cum propria studium, pari nexu iungit, & Christo vnice placuit, nisi apud homines diuinorum eximie peritos, mentèque ab inferioribus subuectos, suo certo pretio nequaquam penduntur: si tamen gradus excellentissimi erga Deum amoris (qui sanctitatis anima est) de operum merito, & præstantia æstimemus in promptu est Christi regula de qua nefas est dubitare, Petri enim erga se amorem exploranti, cum respondisset Petrus, *etiam Domine tu scis quia amo te. Non dixit Christus, ait Chrysostomus, abiice pecunias, ieiunium exerce, macra te laboribus, mortuos excita, demonia abige: nihil horum, vel aliorum rectefactorum in medium adduxit; sed omnibus illis prætermisiss, dixit illi, si diligis me pascue oves meas.* Iam ergo videndum cuiusmodi fuerit & & quanta in hoc iuuandarum animarum diuino negotio Ignatij virtus, & Sanctitas.

Orat. de S.
Philonio.

XIV.
Quanto ardore salutis
aliena flagrauit Ignatius.
Ecclesiæ.

Et occurrit imprimis ea laus quam illi Gregorius XV. attribuit, cum de illo sanctis adscribendo Cardinalium rogaret sententiam. [Videri, scilicet verè, ac præclare B. Ignatio deberi, quod duci præstantissimo Iosue adscribunt diuina oracula, fuisse magnum, secundum nomen suum: maximum in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hereditatem Israël. Igne liquidem arsisse diuinæ caritatis, eiusque in eos beata incendia sparsisse perpetuè, qui essent ad vitam cœlitus destinati: consecratum ab eo ad Christi prælia militem, armisque instructum cœlestibus; ductum

tum in hostes qui tunc erant aggressi salutem piorum exscindere, ducique
 nunc etiam magna Ecclesie gloria, Deo sanctos conatus, latis successi-
 bus promouente. Sic prorsus appositè Pontifex ad illam qua Ignatius arde-
 bat animarum procurationem, in qua magnum fuisse, & sui ardorem æquali-
 se nominis (quod igneum sonat) maximum autem in aliis igne non dis-
 pari inflammandis, clarum est ex eius tum desiderio ingenti salutis alienæ,
 tum ex voluntatum conuersionibus ad Deum illud eius desiderium consecutus:
 post vero semper adeoque nunc etiam, eius instinctu ductuque vigentibus; vt
 enim præclare Cardinalis Bandinus hac ipsa in causa; quicquid vsquam
 nunc patrat, vel patratum est dum stabit Societas, ex eo semine oritur, eius-
 que radice fructus est. [Magna quidem esse, ac stupenda quæ uiuens gessit
 Ignatius, sed præter hæc multa, & fortassis maiora nunc quoque gerere,
 quantam enim sementem doctrinæ cœlestis toto orbe facit instituta ab eo
 Societas; quàm multos ad Deum ethnicos, ad matrem hæreticos reducit;
 quot sapientiæ fouendæ, & expoliendæ gymnasia aperit, omnia Ignatio
 deberi] vtque promissarum Hebræis sedum feracitatem incomparabilem,
 racemi vnus prodigium arguit, sic (inquit alius, magni inter præfules no-
 minis) hominum caritate quàm immensa ferueret Ignatius, eius prædicant
 instituta, & quæ vbique, illorum præscripto, & præsidio peraguntur, ac de-
 sideriis illius, nec meta nec modus, præter orbem fuit; eodem complexu
 mortales vniuersos ardebat religionis sacrosanctæ amori, & obsequiis sub-
 dere: ex quo illa eius ad Lusitaniæ legatum responsio, peragrandis Indis,
 sex è Societate postulantes; quid igitur, ait, sociorum, in reliquum orbem,
 residuum fiet? hinc & voces ignitæ quas suorum subdebat pectoribus, cum
 missos ad prædam animarum, in discessu salutans *ite*, inquebat, *omnia in-
 cendite, & inflammae*. Illo nempe igne quo de irato cœnobita vindictam
 grandem quandoque expetiit, nam is cum minacibus nuntiis significasset
 Ignatio, effecturum se vt Perpinianum vsque ab Hispali, quotquot ex eius
 sociis reperisset, omnes igni probroso traderentur, renunciari illi iussit Ignatius,
 optare se maiorem in modum, vt non ipse modo eiusque amici, & fa-
 miliares, sed quicquid est hominum in mundo, amoris diuini flammis fœ-
 licibus vrerentur. Hinc illæ denique ad erudiendos in Christo infideles, vi-
 rorum fortium expeditiones ab eo susceptæ, in plagas quatuor vniuersi,
 etiam ad Indos, ipsis quoque Indis ignotos, quarum successus egregij, do-
 lore continuo dirumpunt hæreticos: in ijs nescio quis, profectis inde suo-
 rum cladibus, ac sui similibus exprimendis, nihil excogitare potuit aptius,
 quam vt diceret à Paulo III. datam Ignatio, vt regi ventorum Æolo,
 potestatem, quoquo versum suos, in omnes mundi prouincias immitten-
 di, *arte sua vsuros passim, stragemque daturos*. E contrario tres Romanæ ro-
 tæ cognitores, glorioso Apostoli nomine Ignatium eodem iure dignati sunt,
 quo Venerabilis Beda idcirco S. Gregorium Anglorum dixit Apostolum,
 quod iis Christo subiugandis Beatum Episcopum Augustinum, & cum eo
 Monachos aliquot destinasset; nam & ipse similiter, quod mentem sapit

S f

pectusque

pectusque Apostoli, *Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille sanguine suo redemit.* Quæ laus est à Bonaventura patriarchæ magno B. Francisco attributa, & ab Illustrissimis rotæ auditoribus in S. Ignatium translata.

XV.
*Frassidia iu-
uandarum
animarum,
Societati ab
Ignatio præf-
cripta.*

Quantos enim exantlarit labores, ad constituendum ordinem, in quo etiam post mortem, animarum saluti spiraret ac viueret, recolenda quæ libris duobus prioribus scripta sunt: calumniæ, vincula, vexationes saeuissimæ, & immanissimæ, quibus orsus illius tum adhuc informes elidere, tum in lucem progressos extinguere, totis viribus dæmon, insidiisque molitus est, inde suarum iam cladium, & dedecoris coniector non inscius: post hæc, stadium literarum quod eodem consilio intum contranitentibus validissimis tribus vt ipse narrabat, aduersariis, constanter decurrit; summa egestate, morbis continuis, & intempestiua pietate. Sed erant hi fructus caritatis animatum salute ardentis, & apparatus ad opem illis efficacissimè præstandâ, ita vt de illo verissimè dictum sit à Cardinali de Monte ad Gregorium XV. referente. *Nullum earum causa laborem, nullas incommoditates, nullas vigilias, aut corporis dolores afflictationesque recusasse.* Nec enim profecto illarum saluti prodesse quicquam tam arduum potuit, & vitæ quoque periculis ita obnoxium, quod non occuparit, subque Instituto in ministerium vindicarit: ætati promiscuè omni, conditioni & Ordini, regionibus longinquis, & ignotis, omni mortalium generi, ciuilibus, barbaris, rudibus belluarum mori affinis, debitorem ex æquo se credit, bonoque omnium suam operam deuouit. Quare fundatam ab se familiam expeditionibus addixit missionum tot, ac tam variis, incredibili vbique diuinæ gloriæ prouentu: quarum aliæ aduersus hæreticos, iuxta & ethnicos, nulla aut vitæ atterendæ, aut absumentæ habita ratione, nauigationibus in fines vltimos; perpeccionibus, disciplinis linguarum barbararum; infesti cœli, & ferarum gentium consuetudine, sæpe etiam moribus, & atrocioribus omni morte supplicii: aliæ in classes; in campestres exercitus: aliæ; in pagos, & montium aspera, magisque cultus Christiani peculiaribus auxiliis indiga, quibus frequentia urbium abundat; in nosocomia, triremes, carcerem, & alia crebrius vsitata: accedunt pugnae disputationum, ad debellandos, voce ac stylo, hæreticorum prædicantiû errores; administrandus orthodoxis sacrorum vsus, conseruandus, atque instaurandus; tradenda pueris prima fidei doctrina, & regula; conciones in foro; in templis; in sodalitiis; emendandi mores, secessu exercitiorum, & vitæ ratio in iis ab cursu fortuito, & periculoso, in tutum reuocanda: familiaris passim, de cœlo, & diuinis sermo, tanti ad vtilitatem omnium momenti, vt Ludouicus Strada S. Bernardi Monachus non dubitaret nostra Collegia vocitare tyrocinia urbium, & publicæ pietatis. Ad hæc agentibus animam adesse; damnatos ad mortem solari; pestilentia contractis, subsidia corporum, animorumque ministrare, cui tam heroico operi quam multis suorum centenis Societas, & litauit hæctenus fortiter, & pergit nunc etiam vitam profunderet; adiungenda his assiduitas

scriben